Clobucii Ioannis Oratio.

AD ILLVSTRISS: AC REVERENDISS: DOMINVM,

D. PETRVM TYLICKI EPISCOPVM CRAC: ac Ducem Seuerieñ. &c. &c.

ORATIO.

M. IOANNIS CLOBVCII REGII Professoris, in Academia Cracouien.



CRACOVIÆ,
In Officina Simonis Kempinij, A. D.
1607.



MIlitiæ, ornamenta refers, ſoleamq́; crucemqúe,
Infula quæ velat Pontificale decus,
Hæc equitem ſignat claris natalibus ortum,
Hæc loquitur Chriſto nomina quod dederas.
Indicat illa ducem populi, fideiq́; columnam,
Omnia quo vincis militiæ decora.

ORATIO.

ETsi magnitudinem animi tui, excelſamq́ue altæ mentis indolem, nec beneuolis, amantium laudibus, maiorem, nec maleuolis detrahẽtium ſermonibus, minorem, fieri poſſe, exploratiſsimum habeo: Vir tamen bonus, qualis tu publicis vocibus, & omnium bonorum conſenſu, haberis & mereris, quamuis paruipendat, quod laudatur, non tamen floccifacere debet, quod amatur. Nam ſi Ariſtoteli in omni doctrinæ genere ſummo, fidem nefas eſt abrogare: viri boni (inquit ille) coli, affici honore, & laudibus cumulari, à prudentibus præſertim, & notis volunt, tum, vt virtutis illorum, orbis terrarũ adhibeatur conſcius, tum vt conſtet, diuerſo monumentorum genere bonos ac malos, celebrari ſolere, illorum virtutes, ne ſileantur, his vt ex poſteritate, ſit metus. Quid enim cauſæ fieret, cur gloria ac fama, viri quique optimi, & laudatiſsimi, ducerentur, niſi quod gaudeant, ſe ab obſcuritate aſſeri, laboribusq́; ac piculis ſuis, ampliſſimum præmium, tribui, famam publicam, ad poſteros tranſituram, cuius, niſi memoriam quotidie in animo, recoquerent, nihil haberetur, quod in mortalium factis, laudãdum foret. Hinc eſt, quòd mirum in modum aſſenſio & laus, à minoribus etiam profecta, delectat, quia gaudent omnes boni, vocibus hominum, ſuas virtutes cõmendari; facemq́ue, ad ſplendorem vitæ quærendum, laudibus eloquentium, accendi,

1. Ethic. c. 5.

cendi, quæ cum aliis præluceat, ipsos etiam laudatos, ab offensione custodiat. Quemadmodum enim fax, asidua concusione, ignem tuetur; ita laus & prædicatio, viros bonos, , ab omni labe ignominiæ & turpitudinis, seruat incorruptos. Existimat enim quisq; bonorum, verum decus in seipso, repositum esse de, bere, tantumque in suam vitam splendoris, deriuari quantum iudicio sapientum, industriæ suæ, ac virtuti, fuerit tributum. Fælicissimus es hoc nomine Episcoporum Optime ac laudatissime, quippe vni tibi contigit, ex tot claris & illustribus viris, maiore animo, honestatis fructum in conscientia, quam in fama reponere. Nam gloriam mereri, pulchriùs omni gloria ducis, benefactaque tua, siue in Ecclesiam, siue in Rempub: sileri potiùs, quam laudari peroptas. Cernis enim pro magnitudine iudicij tui, quod magnum fuisset, in ipso opere & spectandum, in ore prædicantis sæpè vanescere. Homines enim cum rem destruere non possunt, prædicationem eius incessunt. Diuinitus tibi est hæc fælicitas adiuncta, cuius dator est Deus solis piis, vt veris bonis possis lætari, cætera vel fastigia, vel ornamenta ad bonos iuxta ac malos, pertinentia, vt nunquã appetisti, ita minimè miraris. Quare qui vitam tuam de propinquo inspexerunt, nihil in ea inuenire potuerũt, quod sibi fortuna vsurpare posset, sola virtus domicilium in te laremq; sibi locauit, fortunæ nihil iuris relictũ esse voluit. Facessat ad eos, qui propter ignauiam, & molitiem animi, nisi illa salutarem

lutarem porrexiſſet dexteram,emergere haud potuiſſent. Tu tua induſtria, non poteras non floruiſſe, & in ſummas dignitates, huius florentiſsimi Regni creuiſſe. Tantùm enim tibi præſidij à bonis artibus,& liberali inſtitutione quæſiuiſti, quantum non ſolùm ſuſtinendo negotio quouis publico, ſed etiam illuſtrãdo, ſufficiat. Quis enim, acutiore ingenio, acriore iudicio, exactiore diligentia omnes litteras, etiam recõditas, ita vt tu, perueſtigare potuit? Nihil eſt Latinorum ſcriptorum, quòd non euolueris, legeris, excuſſeris, & cuius vix partem aliquam ſub magnis Doctoribus alij diſcunt, ipſe id totum,ex te Magiſtro,& quidem in Polonia didiciſti. Audiuimus te altiloquio tuo de litterarum ſtudiis diſſerẽtem, integras magnorum Oratorum ſententias promentem,ad perfectum modum Latinè loquentem, audiuimus autem præſenti ingenio,& faceto lepore ſolertem. Qui ardor,in litteras ab ineunte ætate ſuſceptus, niſi ad hæc vſque tempora cõtinuatus tibi fuiſſet, triclinia tua vocibus ebriorum potius, quàm Doctorum ſermonibus perſonarent. Verumenimuerò arguit præſens dies, quibus rebus à pueritia ſtuduiſſes. Ita enim ad hoc vſque ætatis fuiſti, vt omnes labores litteratos cõſuetos habeas. Qui quidem poſteaquàm te in medium protulerunt,noluiſti,more ignauorum intra natalium modum ſeneſcere (nec enim te virtus tua tàm in altum miſiſſet) ſed magnorum virorum æmulatione accenſus, ad omnem ampliſsimæ fortunæ cultum, magni-

 tudinem

tudinem animi tui extendisti. Fuit inprimis tibi, tuo pudore, deinde etiam institutione disciplinaque parentum, prima illa ætas(quæ lubricas vias adolescentiæ ostendit,quibus insistere, aut ingredi,sine casu aliquo, aut prolapsione vix quisquam potuit) munita, atq; ab omnibus illecebris, egregiè custodita. Non tu animi molitie, cum inertibus, sed industria cum fortibus, non voluptatum illecebris, cum luxuriosis,sed continentia & pudore cum integerimis, non profusione cum decoctoribus, sed parsimonia cum frugi hominibus, non fastu cum superbis, sed moderatione animi, cum modestis & mitibus, non asperitate morum cum barbaris, sed facilitate cum humanissimis, non sæuitia cum immanissimis, sed mansuetudine animi cum clemẽtissimis,non inuidia cum ignauis, sed labore cum industriis ad verum decus contendisti. Nihil vulgare te dignum videri potest, qui toties ob stupefactis hominibus tui admiratione, confessionem non mediocris virtutis, extorsisti. Liceat modò mihi per modestiam insitam animo tuo singularem, tuæ virtutis progressum vsq; ad eam amplitudinem, quæ nunc in summo culmine locata, tantùm ad sydera spectat, breui Oratione ostendere. Scio auribus tuis adulationũ insuetis,nhil dari posse nec ego sum tam insolens in dicendo, vt omni ex genere Orationem aucuper, nec tua grauitas mole aliquid dici de se patitur. Nuda igitur & aperta expositione percurram omnia,quę de te verisimè ab omnibus

bus

bus ꝓnunciantur, & plus laboris, quàm ingenij, quo non abundo, in tuis laudibus occupabo.

Ordiar autem ab ijs laudibus, ex quibus nihil ſibi maiores tui, nihil poſteri, nihil propinqui, aut amici, nihil deniq; fortuna, decerpere poteſt. Nam etſi vtile eſt ipſis Rebus publ: claras cõmendari familias, vt eo modo animus humanus, alti faſtigij fiduciam gerens, res arduas aggrediẽdas præſumat audacius, agat confidentius, perficiat fælicius, tamen aures tuæ, iam pridem, ad eiuſmodi laudes occaluêre, tanquam à tuæ vitę profeſsione, & à vera ſapientia alieniſsimas. Quis enim non accedet veritati, externa bona nuſquã alias dici bona poſſe, niſi cũ illis benè vtimur? Quod ſi in virtutis miniſteria minimè tranſeunt, ſed illi obſtrepunt potius, eiuſque vim labefactant, pernities meræ & peſtes ſapientiſsimis viris authoribus eſſe ſolent. Quorum iudicio nunquam tu tuum anteponere voluiſti, ſed quicquid laudis, ex ingenij cultu, & melioribus literis tibi quæſiuiſti, id omnibus imaginibus ſapientiſsimè pręfers. Nam ſi tuum ſenſum ad vulgi opinionem accomodare voluiſſes, oſtentare poteras, illuſtria nobilitatis maiorũ tuorum decora; addidiſſes etiam multò plura induſtrię tuę & ingenij magnitudine parta, ſed non fuiſſet ſapientię tuæ, qua multos mortales ſuperaſti, ab externis, & nõ diu manſuris bonis (ſi modo bona dici poſſunt, quibus multa mala ſunt adiuncta & quæ deterrimis etiam contingunt) ornamenta vitę nunquam intermoritura petere.

tere. Nemo enim adhuc factus est clarior, fortia facta maiorum suorum memorando, sed ea agendo & aggrediendo; semperque gloriosius habitum est nobilitatem sibi peperisse, quam acceptam à maioribus corrupisse, quod tamen frequenter hominibus, multarum imaginum, accidere solet. Nam quos in maiorum suorum vestigijs stare oportebat, illi sæpenumero deflectũt, & grauiter offendunt, lumenq; illud gloriæ maiorum, quod neq; bona illorum, neq; mala in occulto esse patitur, sæpenumero vitijs inumbrant, & corrumpunt: tu acceptam à maioribus tuis nobilitatem, tua virtute adeò illustrasti, vt tenebras nequaquam habere queat. Debes maioribus tuis ortus tui splendorem, sed illum tu factis tuis æternum facis, parentes tibi vitam dederunt, tu illis reddis nominis immortalitatem, illi te quibus poterant ornamentis (nec enim omnibus poterant) cumulârunt, tu illis te exornasti, quæ nec relinqui à parentibus, nec testamento legari possunt. Verę enim nobilitatis viã esse duxisti, non tàm imaginibus quàm famę viribus adiuuari. Nam qui ab ineunte ætate ijs te imbueris studijs quibus ad omne decus fingi animus solet, non poteras non in maximarum rerum cursu esse omninoque magnis rebus gerendis florere. Præsidijs enim illis te adolescentem muniuisti, quibus ad summam dignitatem, quasi quibusdam gradibus ascenditur. Lumen illud omnium gentium, atque omnis memorię clarissimum Ioannes Zamoscius, cuius ma

gnum

gnum nomen ſemper fuit, magna authoritas, magna in omni genere bellorum gloria, quanti te fecerit, po ſteaquam vno obtutu te totum, perluſtrauit. Quantopere induſtria tua & laboribus ad gloriam ſuam to gatam augendam, & amplificandam, adiutus ſępè fu erit, quam ex animo tuis honoribus fauerit, quod iu dicium de te habuerit, quod teſtimonium, dignitati tuę in facie & corona Reipub. dederit, notius eſt; quã vt à me cõmemorari debeat. Cuius viri de te ſenſum omnibus alijs ornamẽtis, anteponere ſoles. An enim poterat vir tantus, tàm pręclarè de Repub: meritus, diſsimilem ſui & amare & commendare? cuius animum à recti & honeſti tramite, longe difficilius fuiſſet, quàm ſolem à curſu reuocare. Sed vidit ille ſuſpicienda in te plurima, probitatem, integritatem, grauitatem, virtutem, fidem, conſtantiam, cęteraſque egregias dotes, tam raras tamque admirabiles, vt ſine alijs fortunę adiumentis poſſent miraculum videri. Vidit, inquam, facundam linguę eloquentiam, morum incorruptam ſuauitatem, in prouidendis rebus conſilium, in exequendis dexteritatem, in omnibus moderationem, integritatem, ęquitatem. Vidit vt vno verbo dicam, ſumma, perfecta, abſoluta, ſuis numeris omnia conſumata. Quando enim tu aliqua re, parum te digna tranſuerſus actus es? Quando te fortunę quantumuis magnę corrumpendum dediſti? Semper teipſum in tua poteſtate habuiſti, ſemper te, tuamqúe fortunam rexiſti, non faſtu, neq; ſuperbia,

 ſed fama

ſed fama & factis inſignibus noteſcere ſtuduiſti, non ſimulatione honeſtatis, ſed ingenuo animi candore, pręire cęteris ęqualibus, voluiſti. Quę virtutes adeò ſunt in aula rarę, vt citius contraria omnia reperias. Vectus ergo es, curru virtutum tuarum, in Regum palatia, ſecum ſpes magnificas portans, at quas iſtas? patientiam, laborem, induſtriam, vigilantiam, conſtantiam: paratus officium, ſtudium, fidem, principibus viris probare meminiſſe loci, expectationis, eorumqúe omnium quę ad claritatem nominis iter monſtrant. Et quę ſollicitudo paucos tenet anxios, ea tibi ſomnum adimebat. Non enim vultu ſed ingenio, non virtutum ſpecie, ſed ipſis virtutibus viam ad honores tibi munire ſtuduiſti: eos verò, qui pro virtutibus luxuriam, atq; auaritam, habent, qui diuitias laudant, ſequuntur inertiam, qui domi voluptatibus, in aula gratię ſeruiunt, tanquam tineas & ſorices aulicos relinquēdos ſuo ingenio exiſtimaſti. Solent enim ijs artibus tueri honores quibus illos pepererunt. Quippe à cęca fortuna promoti, cęci & ipſi fiunt, athoritateqúe armati redduntur nocētiores. Tum demum honores viros arguunt & produnt. Quod ſi adoleſcentìa quę ętas maxime procliuis eſt ad iniurias, & vehementiſsimis cupiditatibus vrgetur, acta cuique in laboribus, ſudoribus, ac periculis exercita eſſet, ijsqúe dedita ſtudijs, quibus ad verum decus animi excoluntur, quis deſideraret in aulis viros tui ſimiles, quis inuideret virtuti, quis non ageret pro virili, vt domi induſtria,

duſtria, foris iuſto imperio, ex paruo hoc Regno magnum redderet, ſed alios animus in conſulendo parum liber, alios libidini delectoque obnoxius transuerſum agit, quo ſit vt in vacuam Rempub: ſæpè impetus fiat, interituque virorum, mores etiam laudati intereant. Quorum huc vſq; quis fuit adſtrictior author, quam tu? Quotuſquisque inuentus eſt, qui optimam quanq; cauſam Reip: magis eſt amplexus? qui bonorum conſenſui accederet, qui verã ſolidãq; laudem quęreret, atq; illa dignitatis aulicæ fundamẽta in oculis gereret, quæ tuenda, vel capitibus periculo ſunt; Religionis integritatem, magiſtratuum poteſtatem, Senatus authoritatem, leges, morem maiorum, judicia iuriſditionem, fidem, quæ quoties aliqua temporum iniuria perturbãtur, toties in Repub: omnia miſcentur, locoq; mouentur. Quarum rerum patrocinium, nemo maiore animo, maiore ingenio, maiore virtute, atque conſtantia ſuſcepit, nemo in his ſtabiliendis dexteritate verſatus eſt maiore. Quando enim tu in aula magis cum fortuna principis, quã cum ipſo? Quando quæ honeſta aut vtilia cum ipſi, tum Regno, eſſent diſsimulaſti? Quando vt plus diuitiarum quàm gloriæ haberes magis ſtudio habuiſti? Quando plus vera conſilia valuerunt, quam te duce? Profecto enim omnia Regna, omnes Reſpublicas, omnes ciuitates, vſque adeò proſperum habent imperium, dum vera conſilia valent, vbicunque gratia, timor, voluptas ea corruperê, breui

 poſt ſe-

post secuta rerum conuersio, imperiis finem imposuit. Quam beati in terris Reges forent, si illis, exclusis superbis, viros mansuetudinis & misericordię cultores in curia assessores, habere liceret. Quibus virtutibus, ita te benigna natuta beauit, vt verissimè quæ Themistocli olim à Græcis sunt tributa in te deriuentur. Firmissimo inprimis naturę robore præditus, tuopte ingenio, præsentium & improuisarum rerum breuissima deliberatione egregius es æstimator, celeriter quę opus sunt inuenis, in rerum delectu nemo te oculatior, neque ex temporali in rebus necessarijs vsu, te quisquam superauit. Quid enim vnquam magnum sine te gestum? Cuius in arduis & subitis Reipub. negotiis sæpius industria est probata? Quis fidelius de prouisis monuit? Quis præcauit solertius? cum etiam ipsi casus non duces, sed comites consiliorum tuorum fuerint. An ingenium, diligentiam quisquam in te desiderauit? Quod enim est officium, quod munus, quod negotium tibi vnquam commissum, in quo non extent cum sapientiæ, tum bonitatis tuæ ac humanitatis cum animi, tum consilij expressa vestigia? Quæ alios libri docent in vmbra & otio, ea tu agendo didicisti, quæ alij legere, audireque solent, eorum partem vidisti, partem ipsemet gesisti, quæ alios literæ, ea te res ipsæ docuerunt: Alios fortuna ipsorum extulit, te illustrauit tuus labor atque industria: alij ad honores, multorum patrocinio, gratia opibus, vsi sunt, te euexit tuum ingenium, ac singularis

gularis in rebus agendis dexteritas, alijs aliena merita præsidio fuerunt, tu tuis viribus tuoque Marte quantus nunc es, tantus es effectus. Eludant nunc, qui vires suas in turbido nunquam sunt experti, in quos inclinatio communium temporum haud incubuit, cõferant tua gesta suis, non modo non iactabunt sua, sed admirabuntur tua. Verumenimuerò est huius sęculi labes quædam, virtuti inuidere, ipsumque florem crescentis dignitatis liuore animi perurere, nec recẽs sed antiqua est hæc pestis, quã in Fabio Maximo perstrinxerat Scipio maior; cum orienti gloriæ suæ obicem poneret. Illud (inquit) nec tibi in me, nec mihi in minores natu animi sit Q. Fabi, vt nolimus quenquam nostri similem, euadere ciuem. Id enim non eorum modo quibus inuiderimus, sed Reipub: & penè omnis generis humani detrimẽtum sit. Ita enim ferè accidit inuidis, vt sua vice neglecta alienam valde sint solliciti, quorum tu impetum solita virtutum tuarum fælicitate non solùm sustinuisti, sed etiam contriuisti. Namq; vbi maiora te officia exceperunt, & ex alijs alia, dum te parem vident, succumbunt ipsi suo oneri, & inuidiam in admirationem vertunt, virtutisque disciplinam non alibi pleniorem, & vberiorem, quàm in tui imitatione sibi, propositam esse cupiunt. Macte hac industrię gloria, qua consecutus es, vt nemo te aspiciat, quin recreetur, nemo mentionem tui faciat, quin summis simul te laudibus ornet, audire de te omnes cupiunt, cum te intuentur, tanquam au-

ſpitium bonum & fauſtum videre ſe lętantur. Et quę res tandem efficere valuiſſet, quod bonitas effecit? Nec immerito: Expreſsior quippe imago viri boni, vereq́ue nobilis, qui nec ira ardeat, nec flagret ambitione, nec ferueat auaritia, nec luxuria molliter diffluat, nec otio & ignauia langueat, nec artes bonas contemnat, in alio nullo melius, quàm in te deſcribi poteſt. Hac tempeſtate enim parum ſerij hominis hæ virtutes eſſe exiſtimantur, qua illa demum eſt vita, illa ſecunda fortuna, nihil agere, domi deſidere, foris ineptire, bonas horas male collocare, totos dies & magnam noctium partem, potando & voluptuãdo conſumere, quaſi peſsimis artibus vacare, id demum ſit aulicum eſſe. In te artem vnam egregie mirabilem ſemper viſam quod per viam publicam nunquam ambulaueris, neque vulgus hominum in vitæ rationibus, ſed illos potiſsimum tibi delegeris imitandos, qui generis claritatem, ſplendore virtutum augerent, qui nomini reſponderent, qui ad omnia intenti agerent, qui cùm alij dormiunt, vigilarent, agerent, deliberarent, & ſeipſos etiam vincerent, certando officijs, ſtudijs, laboribus, vt pro virili Reip: prodeſſent. Hunc curſum vitæ aulicæ cum ſemper tenueris, ideo nunquam offendiſti ſecutiq; ſunt honores merita tua, non ambitioni ceſſerunt, cum etiam congeſtis, à ſapientiſsimo & optimo Principe, ſæpè reſtitiſſes. Iam te prouidentia Dei Opt: *Max*: in intimam Principis amicitiam prouexerat, iam te in medium

protule-

protulerat ingenij vigor, iam dotes tuæ in lucem se extulerant, iam fama tua latè patebat, cum tu non modo responderes nomini, sed multa etiam supra expectationem faceres. Fælicitas est Reip: cum amici principis sunt boni sancti, & venerabiles, non factiosi, non callidi, non ad malum consentientes, non bonorum inimici, non libidinosi, non crudeles, nō circumuentores principis sui, non irrisores, non dispositionum ipsius mercatores, non deceptores, non fumum de ipso vendentes, sed ipsius existimationem amantes, non aliud quam respondetur referrentes, non principem claudentes,& ante omnia agentes,ne quid sciat Qui enim cōtrarium agunt,frugi non sunt, & principes suos sæpenumero in discrimen conijciunt, quibus præ oculis habendum est Thurini supplicium, ab Alexandro seuero editum. Te harum macularum nulla attigit, nulla in mores tuos irrepsit, nulla tibi adhæsit, omnem in partem tua virtus semper se probauit. Id enim solùm habere rationem ducis, quod haberet iustitiam, quod te deceret, quod te non indignum esset, ideo nunquam ab huius integritatis gloria deficis, ideo Principi inprimis charus es, ideo tibi se credit, tibi intimos recessus, animi sui aperit, se totum, tibi recludit. Quia arcana mira scis celare fide, atq; hac laude Persas in antiquitate laudatissimos quorum vocem, neque metus, neq; spes eliciebat, vincis. Non enim illi rem magnam posse sustineri ab eo credunt cui tacere graue sit quod homini facillimum

Lampr: in Seuero.

Curtius lib. 4.

cillimum esse voluerit natura. Tam raram igitur tamque necessariam virtutem, in aulam tuo exemplo reuocasti, gloriamq; silentij, qua stant magna fastigia, omnibus aulæ sectatoribus egregiè cõmendasti. Legisti enim illud de principe Philosophorum Aristotele, qui cum Calysthenem discipulum ac propinquum suum, ad Regem Alexendrum mitteret inter multa, quæ eum docuit hoc præcipuè imperauit, vt quàm rarissimè ac iucundè apud eum loqueretur, qui necis vitęqúe potestatem in acie linguæ haberet. Opportuni etenim silentij maior solet esse laus, quam intempestiuæ orationis, præsertim verò apud principes, quorum difficile est aures nisi maxime serijs occupare. Quod tibi promptissimum effectu fuisse, argumentum, tot annorum in aula ministerium, euidens prębet. Quàm enĩ ægre ex sinu ipsius sis dimissus toties, retẽtum tibi Procancellariatus amplissimum munus, protestatur, quod nunquam maturè dimissurus fuisses, nisi diutius, te recreato quàm fracto sapientissimus Rex vti voluisset. *In* quo quidem munere, cum tanta dignitate es versatus, vt nemo Ociescios aut Zamoscios decora illa Regni posset requirere. Est enim in te ingenium, ratio litteratura, memoria, cogitatio, diligentia, est eloquentia, non illa Castrensis, sed polita, culta, copiosa, & exundans. Nihil apparet in te nisi ingenuum, nisi moderatum, ac graue, quæ sigillatim homines commẽdant, in te gregatim vniuersa concurrunt. Deum inprimis times,

Princi-

Principem reuerenter habes, eius maiestatem præ oculis fers, amplitudinem vero, studio, officio, consilio, fide, sustentas, Rempub. pietate summa complecteris, virtutes magnificis, vitia detestaris, leges verò, iura patriæ, morem maiorum ita tenes, ita in omni antiquitate, ac in omni historia, es versat⁹, vt paucos habeas similes, parem neminem. Nolo commemorare seueritatem iudiciorum tuorum, non possum grauitatem illius consessus assequi litteris. Quanta ibi religio æquitatis, quanta legum reuerentia, tàm asiduus in tribunali fuisti, vt labore refici non vinci molestia viderere. Iam quanta facilitas in audiendo, quantum acumen, in discernendo, quanta æquitas in decernendo, quanta diligentia in exequendo, veteris memoriç illos iudices, Sulpitios, Sceuolas, Papinianos, forum in Polonia tum egisse, crederes. Cum pro Tribunali sedisti velut numen salutare, missum sibi cælitus, afflicti, & in barathrum litium coniecti homines ad iniuriarum suarum vel modum, vel finem statuendum, existimauerunt. Tui præsentis aspectu oculos suos saciare non potuerunt, absentem iisdem oculis quçsiuerunt, à te vultum non dimouerunt, tuo ore, Deum de suis causis pronunciare, putauerunt, Nemo enim vnquã ad iuditium instructior venisse, nemo illud vigilantius obijsse, æquius Tribunali præsedisse creditus est. Equidem magna iudicum pars, tum se posse plurimum existimant, cum quod volũt, vel nõ quod ius, & æquitas suadeat decernunt, tu non quid posses, sed

quod tibi à Lege, à Rege, à Deo, impositum fuit tecũ agitasti, ideoque nec generis, nec opum ratione habita pauperibus iuxta, ac diuitibus, ius dixisti, non hominum, sed causarum totus fuisti, causidicos, à litibus trahendis, & ducendis, in breuia coëgisti, formularios ad quæstum iudicia peruertentes, & illuc, vnde vtilitas ostenditur, æquum transferrentes, summa authoritate coërcuisti, abususque omnes sustulisti. Hæc est togata tua laus, quæ te suprà bellatorũ, & imperatorũ omnium famam est euectura. Quanto enim iustitia militari fortitudine est sublimior & augustior, tanto administri ipsius superãt belli duces, & imperatores. Nã si vnquam euenisset salutare, (vt Alexander *S*euerus dicere solebat) breui militibus nihil opus foret. Quippè pacis etiam ipsum nomen delectat, & res est salutaris: fortitudinis autem in pace nulla est necessitas. *Ia*ctent ergo alij rabida bella, cruentas animositates, funereas victorias, ostentent titulos ex calamitate mortalium quæsitos, te cum Aristide iusti & viri boni cognomen magis illustrabit, & in ore famæ, in honore hominum collocabit, posteritatique commendabit. Nonne enim (si fallacia tegmina auferamus à rebus) ad memoriam nominis sempiternam plus momenti habet plures seruauisse quam occidione delesse. Feralis & in humana est iactãtia potuisse seruare quos perdideris, nisi fortitudo quàm clementia magis humani sit affectus, aut ditionis pomeria proferre, quàm optimis & honestissimis studijs, incorruptis moribus, patriam locu-

triam locupletare conuenientius habeatur. Id enim si ita esset Agamnenon Regum sapientissimus, parum sano consilio Vlissem Aiaci, Nestorem, omnibus alijs suis bellatoribus prætulisset. Pyrrhus itē Epyrotarum Rex imprudēter Cineæ Thesalo, propter eloquentiā tantum apud se concessisset. Verumenimuerò viderunt hi Principes, cætera omnia facta hominum, licet sint præclara, fortunæ accepta ferrenda esse, nisi ingenio, industria, virtute, comendentur. Namque vt inquit Horat: Vis consilii expers mole ruit sua. Quamobrem non immerito in omnibus bene institutis Rebuspub: primus, semper talibus viris, ad amplissimos honores aditus patuit, magnoque in precio habiti, ac in partem curarum à Principibus vocati, perfecerunt, ne moles & magnitudo imperij illis esset onerosa. Clara sunt exempla, suffecerit in hoc Regno vnū sed notissimum Petrus Tilicius, qui Procancellarius tanti Regis tantique Regni, summa, media, & infima aulæ ita excussit, vt neque vsu exercitatiorem, neque natura acutiorem, neque varietate promptiorem, hæc ætas, (cedat inuidia virtuti) habeat. Quoties cum admiratione audiuere te externi, nomine Principis respondentem, atque ita respondentem, vt nec superflueret, nec nutaret, nec aresceret oratio. Sed hoc ingenij, illud iudicij, te ita in omnibus dictis & factis decorum vidisse, vt nihil vnquàm ausus esset, vel inimicus carpere. Suscepisti iter in Sueciam, cum Serenissimo Rege, nihil veritus pericula quæ ibi parabantur,

tur iminentibus autē, nōne ſingulari prudentia, dex- teritate, acumine obuiam iuiſti? Nonne ſapientiſsimè illam maculam quę inueteratura erat, in populi Polo- ni nomine, deleuiſti? Nota ſunt cætera tuæ laudis. Eſt equidem Procancellarius in Regno, vt ratio & mēs in anima. illius eſt conſultare, deliberare, Principis autē iubere, Partes priores abundè impleuiſti, experimen- tiſq; multis oſtendiſti, capacior ne ſit gratiæ Principis, qui fidelius, an qui ſpecioſius, negotia aulę gubernet. Nam cęteris muneribus ſumma cum laude, & incre- dibili approbatione omnium hominum perfunctum, atq; maiorum etiam capacem, nec minorem futurum, ęquiſsimus meritorum arbiter, *R*ex ſapientiſsimus ad *S*enatoriam dignitatem, delata tibi principe in *R*egno Cathedra, prouexit cuius ſui iudicii, quo ſupra cęte- ros mortales abundat, vt ſemper cepit ita in dies capit fructum maximū. Namq; bonus & prudens *S*enator eſt, poſſeſsio omnium vtiliſsima, & Rege digniſsima. Niſi enim vires conſilijs ſuſtenentur concidant mo- le ſua neceſſe eſt: vt pręualida corpora ab externis cau- ſis tuta licet, ſuis tamen ipſa viribus onerantur, ſic im- peria quamuis contra externam vim præualida, & in- concuſſa, ſua tamē mole ruinā ſunt tractura, niſi mul- torum optimatum, conſilijs fulciantur. Quo fit vt qui multis præſunt, in partem curarum multos aſsumant oportet, cum nec vbiq; eſſe, propter, imperij amplitu- dinem, nec cum omnibus verſari, propter maieſtatē, queant, optimeq; cum illis agitur, ſi ex multis egregiè

inſignibus

insignibus ac optimis vnũ consilij corpus, quasi vnũ hominem constituant, qui multiplici memoria, ac ingenio polleat, oculis pluribus cernat, operetur manibus multis, & pedibus penè infinitis nitatur. Nam quo viris erit plenior Curia, eò contra immentia instructior, quo vigilantior, eò Resp: securior, quo candidior, experientior, eò Princeps in decernendo expeditior. Profectò enim amplissimum est Senatoriũ munus, & plenum periculosissimæ aleæ, cardines rerũ & negotiorum omniũ Regni, hoc nomẽ complectitur. Rectis siquidẽ consilijs, & sapienti Senatu sublato, quasi Reipub: concusis fundamentis, omnia stirpitùs conuelli necesse fuerit. Requiritur autem maximè in Senatore futuro, Sapientia, Fides, & Iustitia, sine quibus prodesse Reipub: nihil, nocere autem plurimum posset. Est enim potestas sine iustitia armata malitia, quæ eo tectior esse solet, quo plus virium ex calliditate acquisiuit. In te nihil alienum, optimo Senatore cadere potest, qui sapientiã dulcore bonitatis temperaueris, qui in suadendo, nec inuidia, nec amore, nec odio duceris, nec pertinaciter sententiam vrges, nec in Curiam ita multitudine ac vi argumentorum, armatus venis, vt cõtra sentiẽtes tanquàm hostes adoriaris, nec turpe ducis alienum suffragium, si modò à rationibus Reipub: seiunctum non est, tuo anteponere, nec opinionẽ opinione, vt clauum clauo trudis, sed vt optimus gubernator cum portum difficile est tenere, ventis obsequeris, ac vela dum tempestas postulat, remittis, in

 limine

limine Senatus odium & gratiam deponis, eaq; tantũ intueris, quæ vel ad immortalis Dei cultũ, vel ad Reipub: commoda pertinent: Consilium tibi non in eo stat, quod cõducere posit, sed præcipua rerum ad famã dirigis. Tenes de optimatibus probatam Ciceroni sententiam. *S*unt enim illi Principes consilij publici, maximorum ordinũ homines, quibus patet curia, qui neq; nocentes esse debent, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti, quibus propositum esse debet, id quod est præstantissimum maximèque optabile, omnibus sanis, bonis, & beatis cum dignitate otium. Hoc enim qui volunt Optimates, qui efficiunt summi viri & cõseruatores Reip: putantur. Quod munus adeò augustum & maiestatis plenum illi optimè implent, qui *R*ẽpub: vniuersam omnes ipsius vires, partes, ordines, socios, milites, ærarium, statuta, decreta, consuetudines maiorum, ita tenent, vt ne minima quidẽ res Regni illos fugiat, qui patrociniũ earum rerum, sine quibus salua tranquillitas publica esse nequit susceperunt, magnasq; animi & ingenij opes huc contulerunt. Qui porrò hæc oppugnant ac ea quæ dicunt queue faciunt multitudini iucunda esse volunt populares vocantur, contra quos enitendum est omni scientia ac diligẽtia optimatibus, vt conseruata Repub: capere otij portum, & trãquillitatis queãt. Maioribus enim semper copijs oppugnatur Respub: quã defenditur, propterea quod audaces homines, ipsi sua sponte contra *R*empub: incitãtur.

Cicero Pro Sest.

tur. Propugnatores autem *Reip*: qui esse voluerunt, si leuiores sunt desciscunt, si timidiores desunt, permanent illi soli quos neq; periculi metus, neq; popularis aura, potuit à proposito Reipub: tuendæ dimouere. Harum rerum tot ac tantarum nemo maiore animo defensionem te ipso suscepit, nemo plus admirationis sibi in illis propugnandis quæsiuit. Nunquã enim à rebus leuissimis pepẽdisti, nunquã legibus patriæ, mori maiorũ defuisti, nunquã in partes transijsti, sed liberè & cãdidè in omni consilio versatus es dignitatẽq; *S*enatoriã, vt in historijs Theopompus quondã Thelearchiã clariorem tua integritate, & fide reddidisti. Non enim te quicquam latet, quod Ecclesię, patrię, Regno, expediat, quod & te illustret & illis prosit, tenes officium tuum atq; ita tenes, vt neq; dexteritatẽ in agendo, nec prudentiã in prouidẽdo, nec solertiam in efficiendo quisquã requirat Perpessionẽ laborum, & molestiarum, pro *R*epub: quis viliorem vnquã habuit? cuius humeris onera grauiora incubuerũt? Quis in difficillimis rebus optatum exitum sępius inuenit? Quis minús se ab inuidia cum *R*espub: posceret subduxit? Mittò quòd in omni negotio publico ita versaris quasi rationẽ redditurus, quòd id satagis, ne ordo euersione, libertas seruitute mutetur, quòd ęquitatẽ tuam multa humanitate cõmendas, quod honestissimum quenq; in precio habeas, quod ita à minoribus, amaris vt simul quoque à Principibus diligare. Pleriq; enĩ dum verentur, ne gratiæ parum inseruisse

videantur

videantur, ſiniſtram famam conſequuntur; tu illibata laude omnia publica negotia tractaſti, plenam indulgentiã Optimi Regis expertus, nunquàm in obliquũ abripi te ſiuiſti. Nimirum tenes memoria, quæ in duodecim tabulis de optimo Senatore prodita fuerê. Ex magiſtratibus Senatus eſto. Eius decreta rata ſunto. Is ordo vitio vacato. Cęteris ſpecimen eſto. Cauſas populi teneto. Quęcunq; in populo, quęcunq; in patribus agentur, modica ſunto. Quid horum in te requiritur? Magiſtratibus ante ampliſsimam hanc dignitatẽ, multis es perfunctus, iudicijs Ægni diu præfuiſti, nõ ſolum crimine ſed etiam ſuſpitione criminis ſemper vacaſti, exemplis bonis Curiam locupletaſti, quod autẽ maximum eſt cauſas populi & Rempub: ita ad vnguẽ cognitam habes, vt ſtatim promere queas, quãtum habeat pręſidij, quid valeat ęrario, quos ſocios habeat, quos amicos, quos inimicos, qua quiſq; ſit lege, conditione, fœdere: in ſententia autem dicenda, adeò es ſufficiens, vt ſi Æſpub: poſcat, diem dicendo tollere poſſes. Nunquam te à curis laxaſti, vt in vitia intenderes animum, nunquã moleſtijs victus, in otiũ te ſoluiſti. Tantus es Senator, quo meliorem haud ſcio an hiſtorię contineant. Nulla eſt res quam non & prudentia regere, & authoritate tueri, & virtute conficere poſſes. Cadunt in te ſumma quęuis exẽpla, nec magiſtratus iſte, quem geris, parum ex te ornamenti, ſibi quęſiuit. Duxit te ad eum capeſsẽdum non fortuna ſed dignitas tua. Ita te in omni gradu egiſti, vt fa-

mam

mam iam antè multis rebus prçclarè gestis quçsitam, cumulares. Non insulsisti in eam dignitatē per ambitionem, sed oblatam in prçmium laborum & meritorum, vt cāpum de patria benè merendi haberes patentiorem, suscepisti. Hçc summa voti tui semper fuit, vt Reipub: prodesses, illius rationes à tuis rationibus seiunctas non putares, obesses autem nemini, contrauenires nemini, nisi Reipu: causam oppuganti. An cupidior est quisquam, hunc locum maiestati, & authoritati suç restituere? An quispiam magis elaborauit, vt cōstaret Principi reuerētia, legibus authoritas, libertas bonis, metus malis. Optimusquisque vir, & ciuis sequitur iudicium tuum, tibique omnes Reipub: studio deuincti, nauant suam operam, te vt quendam diuinum hominem in oculis habent. Certare enim gloria Reipub: bene gestç cum quouis antiquorum potes, circumstant te summç authoritates, quç te obliuisci tuç laudis non patiuntur. Nullum te signum, nulla pictura, posteritati ita cōmendabit, vt ea quç pro Repub: fecisti, facis, & es facturus. Non enim valde carè æstimas, otium & quietem tuam priuatam, vt in commune prosis, nec periculum tuum Reipub: periculo antehabes, non succumbis succumbentibus, flectis iudicium tuum pro vsu temporum, & in omni negotio prudentiç tuç vestigia relinquis; ita verò de existimatione tua laboras, vt nunquàm inuidis cesseris. Longè enim ab his rebus quç integritatis famam lçdunt es alienissimus. Iure

D igitur

igitur flores, iure summus haberis, iure gloriā multò sudore collectam, illęsam retines. Quippè in virum te iampridem, multus vsus, multa prudentia, varia & perpolita sapientia transscripsit. Inuidia ergo, quę illustrium virorum facta laniat, infrà tuam magnitudinem iacet, neq; te à cursu tuę constantis & perpetuę erga Remp: voluntatis, reuocabit, pręterita acta tua de futuris fidem dabunt. Nouerat te olim aula obsequio, & diligentia plusquam aulicum, cognouit nūc Curia, prudentia, & fide plusquam Senatorē, Ecclesiæ, verò quibus præsedisti, vigilantia, & bonitate, plusquàm Episcopū, nec aliud sibi de te Cracouien: quę te sibi iam pridem voto elegit, persuadere potest. Eras enim iam in omnium hominum consensu Episcopus Crac: antequam te futurum in animum tuum induxisses, te loci istius maiestatem, solum sustinere posse passim voces publicę, quę vim oraculi habent, loquebātur: te hoc nomine, hac ætate, hac authoritate, omnia vero Episcopo digna cogitaturum, facturum, perfecturum, vna omniū stat sententia. Nouerunt te omnes verissimum in dictis, simplicissimū in vita, & moribus, candidissimum in consuetudine, omni laude dignissimum in factis, cautissimum in dictis, religionis Zelatorem maximum, pietatis cultorē eximium, Ecclesiæ propugnatorem strenuum, & litterarum, ac litteratorum virorum Patronum beneficentissimum, sub tantò capite membra vigore nunquam carebunt, sub tantò Pastore, lupis in gregē nihil licebit, sub tantò Patre

tò Patre nulla dies erit beneficio vacua. *Suscepisti e*nim cũ Episcopatu bene faciendi prouinciam, & quidem non viliori hominis parti, sed illi, quę diuinę aure particeps est, quę sola tua merita cęlo applicabit. In ea enĩ tanta vigilãtia, tantaq; solicitudine versaris, vt id vnum agas, ne de grege tibi commisso, quantulacunq; ouium periculũ (pari quippè precio redẽptę omnes) adeat: Nihil est tibi antiquius, quàm lapsis succurere, iacentes erigere, errantes in viam ducere, sollicitos ad æquitatẽ animi hortari, mæstos solari, cadẽtibus manũ supponere, periclitantibus salutẽ dare. Nemo desiderat in affectu commiserationem, in aditu facilitatem, in congressu affabilitatem, in colloquio benignitatem, & solatium, in authoritate pręsidium, obuius es & expositus adeuntibus, clemens supplicantibus, facilis & non renuens petẽtibus, domus tua pauperũ est asilum indigentium portus, diẽ perdidisse te existimas, qua nõ aliquid sanctum, piũ, grauè, te dignum facias, solent homines te, vt imaginẽ quandã priscorũ Episcoporum aspicere, apparet in incessu grauitas, nullus horror in vultu, nulla tristitia, seueritati adiuncta comitas, insectaris vitia, nõ homines: nec castigas errãtes sed emendas, arguis non vt sęuias, sed vt emẽdes corripis nõ vt prosternas, sed vt in vestigijs meliùs stare facias, quæ tua cęlo recepta mens, dabit in posteritate, de virtutum splendore nitorem. Nam reliqna tuà vita, multis erit monumentis ad omnem memoriam cõmendata, semper tuam bonitatem, grauitatẽ,

cōſtantiam omnium mortalium fama celebrabit. Iam enī tibi inpręſens reuerentia tāta, quāta ſummis dotibus tuis & diuinis propè virtutibus debetur. Animaduertet ſequens ætas te in operibus tuis omnibus non honori ſed exemplo, non præſenti aurę ſed futurę immortalitati ſeruiuiſſe, inanē vmbrā & ſine honore nomē te fugiſſe. Nō enim in externo cultu, & magnificentia veri Epiſcopi laudem, ſed in conſcientia ſanctè piè religiosè factorum, quę tibi vnica cura, ideoque ad poſteros itura, poſuiſti. Habes antè oculos imaginem Epiſcopi ab ipſo Apoſtolo elaboratam eam intueris quottidiè, vt ſis irrepręhenſibilis, ſobrius, ornatus, prudens, pudicus, doctor, hoſpitalis benignus, iuſtus cōtinens, modeſtus. Diebus & noctibus, nihil aliud agis, nihil loqueris, nihil audis, niſi quod pietatem cōmēdet, in ſacra lectione totum tempus, quod à negotiis eſt liberum, conſumis, hac te recreas ac reficis, ab ea doctior redis, in id incumbis, ne quid te quod ad ampliſsimi iſtius muneris adminiſtrationem ſpectet, lateat, iuris diuini & humani ſcientiſsimos tecum habes, eorum conſuetudinem magnifacis, turpè putas, nō exploratum eſſe tibi eū, cui vicem tuam delegaueris, domui autem tuæ ita præes, vt audeat delinquere, ſpe te calendi, nemo. Quis enim te cōſideratior? quis tectior? quis prudentior? Nota tibi tuorum probitas, integritas, virtus, fides, nota ſunt omnia, nihil te fugit, probas cuiusq; mores antequam illum in conſuetudinem, recipias, totum perluſtras ac excutis, qua diligen-

ligentia cęterorum, laudibus obſcuritatem affers. Iam quis ſatis cōſequi laudibus poteſt illa domus tuæ decora, in victu frugailitatem, in cultu moderationem, in promiſsis fidem, in factis & dictis candorem. Hæc tuum nomen multis rebus antè clarum magis, ac magis illuſtrant, hæc te ab obliuione aſſerunt, quamùis tu in his nec famæ, nec opinioni, ſed conſcientiæ ſeruias. Multi enim hac tempeſtate famam, pauci conſcientiā verentur. Inter cęteras porrò heroicas virtutes tuas beneficētia & liberalitas videntur tibi diuinitꝰ eſſe ad illuſtrandā amplitudinē nominis tui conceſſæ: quæ à humanitate ductæ maximè humanum affectum repræſentant & arguunt, ad eosq́ue propriè pertinent, quos fortuna benignius aſpexit, vt non ſolum velint, ſed etiam poſsint benefacere, ſentiunt pauperum Xenodochia tuā largam manum, ſentiunt mendicantium ordines, ac ex omnibus præcipuè litterarū ſtudioſi quorum copiam cum in externis Academiis tum in hac noſtra, cuius digniſsimum Cancellarium agis: foues, ac ſumptibus tuis omni liberaliori doctrina perpolitos, in vſum Eccleſiæ & Reipub: promis. Probè enim exploratum habes, nulli tàm ſtatim clarum ingenium conceſſum, vt ſubinde poſsit emergere, niſi ei materia, occaſio fautor etiam atque commendator contingat, ideo ingenia promoues fulcis, erigis ac extollis, eoq́ue itinere ad immortalitatē tendis. Viuunt enim viuentq́ue ſemper, atq; etiā in memoria & ſermone eorum, quos è tenebris in lucem

 pro-

protulisti, beneficia tua, latius versabuntur. Neq; enim homini ab homine maius dari potest humanitate, litteris, sapientia, quod cum tu facis magno impendio tuo, cogita, quantum iam ad memoriam hominum sempiternam monumentum excitaueris. Profectò enim alia beneficia tam diu sunt grata, quam diu illis fruimur, hoc nulla obliuio delere ex animis potest. Est enim natura sic cōparatum, vt antiquiora beneficia subuertas, nisi illa posterioribus cumules, sed huic beneficio, quo homines ad vsum rationis excolantur, nulla finem allatura est ætas. Hoc nomine & foris es clarus & domi admirandus. Nam cætera operum magnificentiæ, demolitur vetustas, obscurat obliuio, carpit posteritas, hoc ipsa vetustate reuirescit & robur acquirit. Namq; qui mirè concupiscunt, bonos iuuenes ostendere foro, assignare famæ, illudque habent animi, vt velint quē q; sui similem euadere ciuē, & ideò ingenia refouent, vt sint qui in Rēp: dignè succedere & in eorum munera crescere queant, hi memoriam sui viuis in monumentis posteritati linquunt, viuuntque in his, quos opera, studio, & impensa sua Rep: dignos ciues fecerunt. Peculiare hoc est bonum ingenij tui, & multis exemplis cognitum, atque etiam probatum. Quod optima spe nos implet te Cancellariatum tuum, summam nimirum, ad amplificanda & ornanda studia à sacra sede datam potestatem, cōuersurum, confidimus te clauum in omnibus conferendis Academicis honoribus tenente, litteras spiritum

ritum & ſanguinem recepturas, ad eumq; ſtatum peruenturas, quem voto quisq; optat doctrinarum amãs. Nam qui eas ita diligis, vt nullum tempus de illis cogitandi relinquas, quî poteris vberrimam hãc laudis materiã, diuinitus tibi oblatam, ex qua tibi nomen in æternitate manſurum efflorеſcet, negligere, ac contẽnere. Tanta te iam ex alijs rebus pręclarè, pro Eccleſia, & Repub: geſtis notitia inuaſit, vt licet in extrema mergaris, ac penitus recondaris, tenebras tamen habere non poſſis. Quod ſi partem aliquam curæ ad Academiam ornandam deriuaueris, illa te non minus illuſtrauerit, quam reliqua omnia anteacta tua quibus tibi veram & ſolidam gloriam peperiſti. Creuiſti in hoc munus Academicum, non ætatis, quam virtutis robore firmior, magnum exemplum alijs, qui te ſequentur daturus, ingentiaq; animi bona atque illam indolem qua totius Regni negotia cum memorabili laude tenuiſti, in excitandis & erigendis, ac fouendis bonis ingeniis, conſumpturus. Vnde tibi ipſi glorioſa ſolatia, Eccleſiæ & Reipub: digni gubernatores cõtingere poſſunt. Quem quidem tuum ſatis ex ſe inflãmatum animum Deus Opt: Max: confirmet & augeat, & quę Eccleſiæ, patrię, Academię, cogitas ad optatũ finem deducat, & ad perficiendum, tantum virium, vitę incolumitatis, & fęlicitatis largiri dignetur, vt de tuis operibus futuris, ad laudem ſuam deriuandis, eadem diuina mens poſsit lętari. Quibus quidem votis & tuis & noſtris, annuat idem Deus Opt: Max.

FINIS.